



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CCCCIX. Andreas Hasselmann, Propst zu St. Marien in Salzwedel, bestätigt die vom rath der Altstadt Salzwedel getroffene Feier der Verkündigung Marien's, am 5. September 1468.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

CCCCIX. Andreas Hasselmann, Propst zu St. Marien in Salzwedel, bestätigt die vom Rath der Altstadt Salzwedel getroffene Feier der Verkündigung Marien's, am 5. September 1468.

Ad vniuersorum noticiam, quibus presens scriptum innotuerit seu ad quos litere huiusmodi peruenerint, cuiuscunque Status, gradus, ordinis aut conditionis fuerint, seu quacunque prefulgerint dignitate, Nos Andreas hasselman, decretorum doctor, prepositus Ecclesie beate marie virginis in Soltwedel, verdensis diocesis, deduci volumus per presentes, Quod Circumspecti atque prouidj viri proconsules, Consules atque tota communitas opidanorum veteris opidi Solwedell nobis per medium prouidorum Ghilze brewitzen et Diderick lagendorp, opidanorum ibidem, exposuerunt, quod ijdem proconsules, Consules et plures ex dicta communitate, deuotionis causa salubriter moti, missam ad laudem et honorem Beate precesseque genitricis dei virginis marie de annuntiatione eiusdem a prima die aduentus domini inclusiue sumpta vsque ad diem Natiuitatis cristi exclusiue singulis diebus continue et deinde per circulum anni singulis quartis feriis in choro ecclesie Beate marie virginis predictae statim post finem matutarum ibidem personaliter decantare proposuissent, nobis humiliter supplicantes, quatenus dictis proconsulibus, Consulibus ac communitati in premissis voluntatem atque consensum nostrum prestare et impertiri, Necnon assensum viceprepositi nostri eidem alias desuper prestitum approbare et notificare dignaremur. Nos igitur andreas, prepositus prememoratus, qui diuini cultus augmentum gloriamque, laudem et decorem virginis marie intensis desiderijs affectamus, dictis proconsulibus ac communitati, quorum deuotio ad opus hoc salutiferum duxerit visitandum, vt missam prememoratam in choro Ecclesie mee Supradicte a prima die aduentus domini usque ad diem Natiuitatis cristi exclusiue singulis diebus continue Et deinde per totum anni circulum singulis quartis feriis Statim finitis matutinis in choro prenarrato solempniter decantare possent et valeant, tenore presentium fauorabiliter indulgemus, Consensumque, voluntatem et assensum nostros, quantum in nobis est et nostrum interest in premissis, eidem concedimus et impertimur, Necnon assensum dictis proconsulibus, Consulibus et communitati per viceprepositum nostrum hactenus desuper prestitum et impensum approbamus, confirmamus et ratificamus per presentes, Et si prefati proconsules, Consules et communitas, tedio, quod absit, affectj, huiusmodi missam sicut premittitur instauratam, post lapsum temporis personaliter decantare postponerent aut recufarent, Eisdem tunc proconsulibus, Consulibus et communitati predictis seu eorum prouisoribus, quos ad hoc deputauerint, vt nichilominus eandem missam temporibus et loco supradictis per Chorales prepositure Soltwedell pro tempore existentes et duos iuuenes Scholares, competente sallario saluo, ad instar aliarum missarum peculiarium videlicet Sancti spiritus, Corporis cristi et Sancte trinitatis aut per alios quoscunque, prout melius visum fuerit expedire, faciant decantari tenore presentium plenissimam concedimus facultatem, Omnes et singulos utriusque sexus cristifideles in domino suppliciter exhortantes, quatenus dictis prouisoribus pro huiusmodi misse continuationem manus porrigant adiutrices aliaque caritatis ac pia impendant opera, de premissis presentem et mercedem ab omnium bonorum largissimo tributore receptorj. In cuius rei euidentis testimonium presentes literas Supradicte mee prepositure Sigilli iussimus et fecimus appensione communirj. Datum anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, Die lune, quinta Mensis Septembris, presentibus ibidem domino lodwico houesche officialj et Hanfz gartz laico, iudice temporali meis et dicte mee prepositure, testibus ad premissa vocatis et Requiritis.

Nach dem Originale im Archiv der Stadt Salzwedel, Fach 26, No. 14.